



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 121. Sueci a Polonis cæsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

captos unacum tribus vexillis abduxerit: Accepta hac clade Turcarum Imperator, etsi ejus copiæ non ita pridem iteratis invasionibus, ac incendiis Hungariam devastassent, nihilominus Legato ad Imperatorem misso querebatur, quod Hungari, & præcipue Buchemius, Forgatsius, aliique Belliduces violata pace hostiles incursus tentassent, acceptoque nuntio de illata apud Helespontum nupera clade Turcarum potentiam insolentius contempsissent: his ergo ausibus ut Cæsar obicem poneret, Legatum suum Constantinopolin decerneret. Insuper Mense Decembri ad finem vergente alius Orator a Turca Viennam missus vehementer adversus Hungaros exostulabat, eo quod hi nonnullos Turcicæ gentis Mercatores prope Comoram suis mercibus & vita spoliassent: postquam vero Cæsar plenam satisfactionem pollicitus erat, hic Orator Vienna discessit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1656.

§. CXXI.

*Sueci a Polonis cæsi.*

Cum Casimiri Poloniæ Regis, ac in *Tuld. l. c.*  
Silesia exulis res omnino deploratæ viderentur, inter medias desperationis nebulas melioris fortunæ spes affulsit; postquam enim Carolus Sueciæ  
B b 5 Rex



Sæc. XVII. Rex Varsoviæ, & Casimirus Lubovizæ  
A. C. 1656. in finibus Silesiæ comitia habuere, Po-  
 loni ex desperatione vires haurire, ac  
 sibi, suæque libertati pugnare decre-  
 verunt: Itaque Cæsarnecius collectis uni-  
 dique copiis trans Vistulam ad Golom-  
 bos movit, verum a Wittembergio &  
 Duglasio fusus, Samosiam usque pro-  
 fugere compulsus est. Hac victoria e-  
 latus Sueciæ Rex, Jaroslaviam con-  
 tendit, Præmisliam urbem obsesurus.  
 Tanta autem erat obsessorum virtus, &  
 civium pietas, ut Sueci Catholicorum  
 armis piisque ad Deum votis expugnat,  
 non sine magna strage obsidionem sol-  
 vere cogerentur: die etiam duodecima  
 Martii Cæsarnecius restauratis viribus  
 Ecclesiæ Catholicæ, Regisque rem in  
 Polonia ferme deperditam restituere  
 cæperat; inito enim prælio Carolum  
 Regem prope Jaroslaviam tanta afflic-  
 clade, ut sæpe inclusus, tandemque  
 elapsus, non victus duntaxat, sed &  
 fugitivus Varsoviam sese recipere com-  
 pelleretur: Prospero hoc successu ad  
 majora accensus, novisque militum  
 supplementis auctus Cæsarnecius, Mar-  
 chionis Durlacensis copias ad Varicam  
 profligavit, trajectoque Pilcæsa amne  
 Gedanenses Catholicos, qui immota in  
 Cæsarem fide eminuerunt, obsidione  
 liberavit, cæsisque ad Vartham flumen  
 Suecis,



Sæc. XVII.  
A. C. 1656.

Suecis, ac Megalopolitani Ducis copiis Varsoviam obsidere cæpit; quo comperto Carolus Rex omnem Poloniæ prædam, quam in hanc urbem convexerat, secundo flumine in Prusiam regalem deferri iussit; Poloni autem hujus mandati haud ignari, coniectis in Vistulam multis & grandibus arboribus fluvium innavigabilem redentes, non modo prædam, sed ipsam quoque urbem recuperarunt. Tum vero res Polonica feliciorum cursum tenere cæperat; postquam enim Carolus Rex & Brandenburgicus Marchio, qui suas copias Suecis junxerat, ante Varsoviam Cæsarnecii exercitum delere paraverant, pugna in tertium diem continuata victoriam quidem sibi adjudicabant, adeo tamen cruentam, ac funestam, ut cladi internecinæ haud ab similis esset: quocirca Casimirus ab hoste nil ultra sibi metuens, honestas cum Moscho conditiones pepigit, illisque nonnisi Smolenskum urbem cedens, totam Lithuaniam, Podelassiam & Russiam Nigram recuperavit, demum vero die decima quinta Novembris a Gedansibus summa lætitia, ac pompa exceptus, suorum fortitudine, concordia & fide potentissimos quoque hostes devinci posse intellexit.

§. CXXII.